



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

218. An regulares teneantur eliger in superiores digniores? Et quid quoad  
Abbates perpetuos, & Generales? Et an si ad solum generalem pertineat  
eligere superiores, obligetur ad leigendum digniores, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

petuli conferret, huiusmodi suffragium nihil proflus valet, immo est omnino irritum & inane, & non modò ceterorum suffragiorum vim non impediret, quin verò accrescerent voces illorum, qui purè simpliciter, absolute, & determinate conferuntur, iuxta determinationem Innocentij IV. positã in c. in electionibus: quod est secundum in ordine, eod. tit. l. 6. Unde si suffragia electorum omnium, essent tantum 12. & ipsorum quatuor sua suffragia ferrent indeterminatè, seu cum aliqua ex conditionibus supradictis haberetur pro non adiectis & totum ius electionis remanebit in reliquis octo, ita quòd illud quod ipsorum maior pars statuerit, erit firmum, & validum, ac si quatuor supradicti in Collegio, seu ex Collegio nullatenus esset, quod est valde notandum, ac memoriæ commendandum. Ita Mirandæ, cui adde Castellinum tract. de elect. c. fin. n. 4.

2. Sed non grauebor etiam hic apponere verba Iulij Laurij in suis varijs elucidationibus tit. 4. c. 19. n. 64. vbi ita ait. Aduertendum autem, quòd si quis per votum conditionatum, vel incertum suffragaretur, votum pro non dato haberetur, nec in aliorum numero computatur, ac si neminem nominasset, vel ab extraneo datum esset; sed electio consergit ex alijs votis: si aliquis maiorem illorum partem obtinuerit. Ita etiam esset si ex alio capite vota essent inutilia, vt si nominarentur personæ à passiva voce omnino exceptæ, vt explicat Fr. Sigism. dub. 29. quod idem dicitur, si in scrutinio per schedas celebrato reperitur aliqua schedula alba, tunc enim ea reiecta, ac si non esset, cætera vota numerantur. Hæcque Laurius, & ante illum Sigismundus à Bononia rr. de elect. dub. 29. Hinc apparet me rectè olim respondiisse huic petitioni. In electione cuiusdam Abbatis adierant 17. Moniales, septem ex illis elegerunt Catharinam incapacem, & ne illam elegerent, fuit ab Episcopo protestatum: ex reliquis decem elegerunt Ioannam, alia alias. Consultus de hoc casu respondi Ioannam esse ritè electam, cum haberet maiorem partem votorum, nam Moniales, quæ Catharinam elegerunt, non computantur amplius inter vota eligentium. Ergo, &c.

RESOL. CCXVIII.

An Regulares teneantur eligere in Superiores digniores? Et quid quoad Abbates perpetuos, & Generales? Et an si ad solam Generalem pervenerit eligere Superiores, obligetur ad eligendum digniores, vel aequè dignos? Ex p. 1. tr. 4. & Misc. 4. Ref. 37.

§. 1. **A**ffirmativè olim docti, sed notissimè nominatim contra me, & contra communem tenet Thomas Hurtadus var. tom. 2. tractat. 12. cap. 1. numero 1562. ex Caietano in summa verb. electio officialis, vbi sic ait: Si in electionibus spectetur ad spirituale tantum officium ad quod eligitur, cum eligatur ad onus, cessat ratio iniuriæ respectu dignioris, & sufficeret eligere dignum, sicut in cæteris onerosis officiis credimus sufficienter providisse, si eligimus dignum.

2. Limitat hanc sententiam Hurtadus quoad Abbates perpetuos, & Generales, in cæteris verò Superioribus putat non adesse obligationem eligendi digniores; non enim circa hos adest personarum acceptio; quia officia ista non dantur Religioso electo tanquam parti Communitatis; iustitia enim distributiva, cui opponitur acceptio personarum, est quando Communitas respicit membra tanquam partes, quibus distribuit bona communia secundum proportionem cuiuscunqueque, hæc enim officia Regularia non sunt nec secundariò instituta, tanquam præmia meritorum, cum potius

Tom. VII.

sint onera gravissima instituta ad Regimen regulare, & vt Religio habeat bonos Prælatos, qui subditos contineant in observantia, & charitate. Unde Caietanus vbi supra dicit egregiè, quòd Prælati minus idoneus, gratus tamen omnibus, melior est illis Prælato magis idoneo, & minus illis accepto; Quoniam ibi charitas coalescit, hic periculum operandi ex metu. Et sic ista non debentur beneficia tanquam præmia dignioribus; si enim essent præmia instituta, allicerent ad sui desiderium, quod in Religiosis, qui perfectionem profitentur, est ambitionis fomentum, & sic ab institutore Religionum, nec secundariò intentum, atque ita non est personarum acceptio dare ea dignis, omissis dignioribus; multas alias rationes adducit Hurtadus pro sua firmata sententia, quas penes ipsum videbis.

3. Sed ego contra Hurtadum non recedo à sententia; quam sapius docti, & nunc iterum docti; est enim communis; vt dixi, & illam præter alios Doctores alibi à me adductos, notissimè tenetur eruditus P. Andreas Gerunda de Episcopo tom. 2. libro 6. disp. 13. cap. 7. numero 10. vbi sic ait. Dico septimò, Religiosos proprijs obligari constitutionibus in omnibus ordinibus ad meliorem in Prælatum eligendum, quæ quidem constitutiones Religionum videntur pactum exponere inter electores, quicumque illi sint, & ipsammet Religionem, quo data est eis facultas eligendi non alium in Superiorem quam præstantiorem, quod videtur ipsi iuri naturali quam maximè consentaneum; est enim res maximi momenti, cum Regularis Superior eligatur ad Prælaturam; quæ curam habet animarum; Hinc quam plures Religiosi ordines iuramento suos constringunt, quo se præstantiores in Superiores eligere obligantur; Imò omnes Regulares illud prælati præcipit Clemens VIII. in decretis pro reformatione Regularium datis 25. Iunii 1599. per hæc numero 36. iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientie probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniant, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum, & per Urbanum VIII. anno 1624. 6. mensis Octobris, hæc eadem confirmata, & publicata fuere: sic etiam Patres Societatis Iesu in Congregatione Generali ad electionem Generalis Præpositi hanc egregiam suffragij ferendi habent formam; relatum in decretis primæ Congregationis eiusdem Societatis decreto 16. tacto enim pectore in hunc modum iurant.

Testem inuoco Iesum Christum, qui sapientia est æterna, quòd eum eligo & nomino in Præpositum Generalem Societatis Iesu, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.

4. Hinc fallam arbitror Caietani sententiam in summa, verbo electio in Prælatum: qui quamvis absolute sub initio docuisset in pastorem Ecclesiasticum eligendum esse meliorem, deinde ad medium huius tituli ait: In electionibus si spectetur tantum officium ad quod eligitur, cum sit solutus oneris, rationem cessare iniuriæ respectu dignioris, ac sufficere eligere dignum. Et quod caput est de Episcopis hoc idem dicere non veretur. Verum fallam hanc esse sententiam meritò dixerim, ob rationum momenta loco supra citato indicata. Quamobrem absolute sentiendum est, meliorem esse eligendum in Prælatum Regularem; Imò nomine potiori, cum vite perfectionem sectentur Religiosi tum Electores, tum subditi, atque iuxta finem proprii, ac præstantissimi instituti, digniores profecto Prælati

M 3 de hie

Aibi in R. not præterita signanter in prima, & in secunda, lege aliam R. eius tertiae annor. pro Beneficentiaris dignioribus eligendis.

desiderantur, ad quorum electiones, utpotè auctiori vinculo deuincti, strictius etiam tenentur. Neque formalitates Caietani in huiusmodi materia innixæ rebus ipsis physicè, vel moraliter consideratis alicuius sunt momenti; Et licet essent, & non fieret contra iustitiam distributivam, omissione dignioris: at fieret sanè in Religiosam Republicam, & contra communitativam, & contrarium asserere, tum est absque fundamento, tum contra communem.

Sup. hoc sup. petri s in R. 4. & 5.

Hucvique Gerunda, qui etiam subdit, si ad solum Generalem Religionis pertineat eligere superiores, obligari ad eligendum digniores, vel æquè dignos post sufficientem, atque exactam diligentiam circa cognitionem personarum.

5. Vide etiam Giragum de regimine Ecclesie part. 1. dub. 3. per totum, qui postea in sequentibus dubiis, meritò inuehitur in Religiosos, qui in Capitulis generalibus Religionum capita factionum nuncupantur; contra quos etiam exardescit Laurentius Peyrinus de Pralato q. 2. cap. 2 §. 3. n. 19. & Thomas Hurtadus ubi supra n. 1641. ubi ita asserit, Quàm malè faciant quidam qui potentes sunt in capitalis, & capita factionum, & gremiorum nuncupantur, qui ante electionem, & ingressum capituli faciunt tractatus non solum consultorios sed actionales, ut hi vel illi eligantur, & non alij diuersæ factionis, quamvis enim liciti sint tractatus, (etiam viuentis Pralato, ut constat ex cap. si transitus 29. dist. ) per modum consultationis, ut agnoscat dignus qui eligendus sit, ut tenet Molfesius ubi supra cap. 16. num. 47. tamen tractatus factionales, ut de meo grege tot eligantur, & de tuo tot prorsus illiciti sunt, & ex illis omnis pestis regiminis regularis oritur, & fouetur ambitio, quæ venenum est in Religione. Vbi enim huiusmodi partialitates existunt, nec premiatur virtus, nec punitur vitium, sed virtutes gremij oppositi vitia iudicantur, & vitia gremialium suorum virtutes reputantur. Ita ille. Deploranda est igitur miseria istarum Religionum, si quæ reperiuntur, in quibus talia perpetrantur.

Sup. his tra. ctibus ma. gis late supra in Ref. 116.

### RESOL. CCXIX.

An Regulares pecuniam relictam cum onere perpetuo celebrandi Missarum possint implicare super bona Monasterij exempta à simili onere?

Et an ex prædicta pecunia possit extinguí census Monasterij, vel emi aliquis census, aut alter annuus redditus, aut reedificari Ecclesia, vel Monasterium? Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 25. aliàs 26.

Sup. conten. to in hac R. vsq. e ad not. seq. in tom. 2. tr. 1. Ref. 15. per totam, & ex Ref. 21. §. vlt.

§. 1. **H**anc quæstionem pertractat Pasqualigus in 99. Can. Cent. 2. q. 17. ubi quærit, an Regulares possint fundare censum ex pecunia eis relictâ pro Missâ perpetua, supra Monasterio, aut horto inserviente pro Monasterio. Et negatiuam sententiam tenet, nullum tamen Doctorem adducens.

2. Dico itaque, affirmatiuam sententiam docere Peyrinum in Formul. littera A. cap. 11. num. 2. cuius sententiam asserit aliquos Regulares practicasse; sed malè: nam ipsum Peyrinum meritò impugnat Bordon. in cons. Regul. tom. 1. Resol. 25. n. 34. & ad omnes rationes in contrarium respondet, negatiuam sententiam docens, firmando quod in nostro casu emenda sit noua proprietas, quæ actu fructificet per accretionem proventuum Monasterij. Probat, tum ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem nouorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ aliàs propria non erat emptoris, aut saltem sit propria ratione fructuum: ut si domus locanda reedificetur iam combusta: si quidem implicatio accreuit nouos fructus im-

plicanti, quos antea non percipiebat; aliter implicatio produceret contrarium effectum, nimirum, onus sine commodo, & vili, si non adiungeret proventus implicanti tum ex Decreto Sacre Congregationis de celebratione Missarum, ubi decernitur, ut pecunia, & bona mobilia, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab his, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesie, ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illi annexum reperitur. Pecunia ergo inuestienda est in bonis immobilibus fructiferis, quod fieri non potest, nisi ex implicatione acquiratur ius lucrandi nouos fructus, qui non acquiruntur in dictis casibus, neque etiam restauratione, seu refectione domus collapsæ, vel combustæ, aut adificatione Ecclesie, vel Monasterij, cum huiusmodi adificia non locentur extraneis, qui annuos redditus præbent. Et idè hanc sententiam, præter Pasqualigum, & Bordonum, tenet etiam doctus Magister Lez. in Summ. qq. Reg. 10. 4. verb. Missarum. 37. qui testatur, ita fuisse decisum inter Canonicos Basilicæ S. Petri, consulente viro quodam doctissimo, quem ipsi ad dubij decisionem vocauerant.

3. Nota etiam hic cum Bordon, contra Peyrinum locos citatos, non posse in casu nostro ex illa pecunia extinguí annuum censum Monasterij: quia extinctio census non est implicatio, seu inuestitio pecunie, sed æris alieni solutio. Si tamen talis census inpositus esset super aliquod bonum stabile fructiferum Monasterij, tunc extinctio illius esset quædam virtualis inuestitio talis pecunie in bono stabili fructifero nouos fructus fructificante, cum per illam accrescerent Monasterio illi fructus, qui in solutione reddituum census expendebantur, & per consequens saluaretur intentio Sacre Congregationis. Quo sensu, & non alio accipiendus est Peyrinus relatus, & Marthia in decisionibus voto 243. n. 3. & 5. quæ ibi refert, & Marchinus de Sacram. Ordin. tr. 3. c. 15. dub. 4. circa Decreta Sacre Congregationis relata. Quamuis autem ipse Marchinus ibid. dub. 3. dicat talem pecuniam inuestiendam pro onere Missarum non posse collocari in emptione alicuius census, alteriusve annui redditus, ed quoddam census propriè non est bonum stabile, & facile percat: nihilominus oppositum existimo verius, & conforme praxi Ecclesie, quæ census bona stabilia, & fructifera censetur: esto, non multum secura propter humanas varietates quod solum probatur debere fieri huiusmodi inuestituram in emendo censu, nisi in casu, quo alia bona fructifera securiora emi nõ possint, aut ille census, moraliter loquendo, sit securus. Et hæc omnia docet etiam Lezana loco citato, quæ notanda sunt: nam casus quotidie accidit.

### RESOL. CCXX.

An Regulares, quando adire non possunt Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem debeant pignore vase, lampades, candelabra argentea cum licentia Episcopi?

Sed circa hoc aliqua alia valde notanda, & mandanda pro casu occurrenti explanantur. Ex p. 5. tr. 1. §. 2. Misc. 1. Ref. 6.

§. 1. **I**nter Regulares potest frequenter hic casus accidere. Et suppono ex Castro Palao tom. 2. tr. 1. 2. disp. vn. pun. 15. §. 1. n. 2. Hieronymo Rodriq. in Comp. qq. Regular. resol. 7. num. 23. Barbosa de potestate Episcopi part. 3. allegat. 95. num. 38. Bonacina de alienat. disp. 2. quæst. vn. pun. 3. num. 30. Lessio lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 62. & alijs, non solum res immobilis Ecclesie non posse alienari, vel pignori absque licentia Pontificis; sed, neque etiam mobiles, si sint preciose,